



## **Polyanthea Sacra**

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

**Spanner, Andreas**

**Augustae Vindelicorum, 1702**

§. 10. Virtus non amatur: sumus difficiles ad illam. Ex Vet. 6c.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

Cum interficitur impius, Christus infunditur: & ubi abominatio aboletur, sanctificatio congregatur.

*Meum est omne primogenitum, ex quo percussi primogenitos in terra Egypti.* Num. 3. 13. Cum renuntiat improbitati, statim adscipitur virtus: egressus enim malitiæ virtutis operatur ingressum; S. Ambrosius citatus. Non prius sanctificati sunt primogeniti Israël, quam percuterentur Egyptiorum primogeniti: & quasi causam sanctificationis, horum interitum, & necem ponit illorum. Orig. hom. 3. in Num.

*Tempus putationis advenit.* Cant. 2. 12. Mox vineæ florentes dederunt odorem suum. Quia, nisi diligens præcedat putatio, non sequetur fragrans vineæ floritio. Prius enim sunt resecauda peccata, quam sequantur gloriosa virtutum primordia: mortificandæq; sunt cunctæ inordinatæ affectiones; ut floreat, & fragrent, studiosi affectus, & actus. De Ponte hic Exh. 23. §. 2.

*Hyems transijt -- flores apparuerunt.* Cant. 2. 11. 12. Per flores virtutes signantur; quæ, post transitum diabolicae hyemis, in cordibus oriuntur. S. Bonaventura spec. B. V. c. 10.

*Vadam ad montem myrrha.* Cant. 4. 6. Ad montem myrrhae, & ad collem thuris, sponsus vadit: quia eos familiariter visitat, quos per mortificationem vitiorum ad alta proficere; & per mundas, & humiles, orationes suaviter redolere percipit. S. Gregorius hic.

*Surge aquilo, & veni Auster.* Cant. 4. 16. S. Ambrosius in Pl. 1. per aquilonem, spiritum malum intelligit; per austrum, divinum. Et subdit: iste ventus adspirat, si Boreas ille gravis ventus flare desierit.

*Ut evellas, & destruas &c.* Jer. 1. 10. Contra quatuor tristia duo læta apposuit: quia non poterant edificari bona, nisi destructa essent mala; nec plantari optima, nisi eradicentur pessima. S. Paschasius in Thren. 3.

*Dico huic vade, & vadit, veni, & venit.* Matth. 8. 9. Prius dicit, vade, deinde veni. Prius dic vitio, vade, longè recede à me; deinde virtuti, veni, id est, mecum perpetuò manè. Sylveira Addit. in Matth. hic.

*Colligite primum Zizania.* Matth. 13. 30. Priusquam colligatur triticum, evellantur Zizania; id est, antequam quis virtuti incumbat, pericula vitæ. Nota itè: *ad comburendum.* Non satis Zizania evellere, & à tritico separare; sed exurenda, nè remaneat, quod iterum fata possit lædere, & inimicus homo superfeminare Zizania tritico. Origen. in Jer. eradicatum est quidpiam; invenit etiam adversarius inter ea, quæ eradicata sunt, aliquam sementem, quam iterum seminet. Propter hoc jubet Dominus: colligite & comburite: scilicet ut eradicatio quoque, & ipsa subversio, consumatur. Pinna Ethol. 238.

## Motiva.

## Ex Veteri, Novo, Patribus, &amp; alijs.

*Diverte à malo, & fac bonum.* Pl. 33. 15. Ad videndos dies bonos, non sufficit, tantum à malis actibus abstinere, nisi nos pietas compellat & bona agere: nam primus virtutis gradus est, aliena non querere; sed iterum superior, egentibus propria non negare. Cassiodorus hic. Quomodo enim poteris facere bonum, nisi declinaveris à malo? Quid quero ut vestias, quando adhuc spoliatus? Quid quero, ut dones, quando adhuc rapis? S. August. in Pl. 36.

*Lavamini, mundi estote discite benefacere.* Il. 1. 16. 17. Isaias, cum populum instrueret, prius mundationem à sceleribus, & quietem à vitijs, posuit; quam intulisset de benefacendo scientiam. Simon Cass. l. 3. c. 1.

*Ut sine timore.* Luc. 1. 74. Porro, nisi à dæmonum dominatu liberemur; Deo in veritate servire non possumus. Prius enim à dæmonibus habenda est libertas: antè sunt solvenda vincula peccatorum, quibus voluntariè nosmetipsos innexuimus: prius è carceribus oportet dimitti, quam iustum Deo famulatum exhibere possimus. Sim. Cass. ibidem.

Cum renuntiat improbitati, statim adsciscitur virtus: egressus enim malitiæ virtutis operatur ingressum: eodè studio, quò crimen excluditur, innocentia copulatur. S. Ambrosius de Abel, & Cain. l. 2. c. 4.

Sive virtutes inferas, vitia suâ sponte decedent: sive etiam vitia eximas, virtutes ultra subibunt. Sic bonorum, ac malorum, constituta natura est; ut se invicem semper oppugnent, semper expellant: ita fit, ut neque vitia detrahi sine virtutibus possint, nec virtutes inferi sine detractioe vitiorum. Lactantius l. 6. div. instit.

Virtus, nisi cum cordis munditia, non potest convenire. Orig. hom. 6. in Gen.

Prius vitia in homine extirpanda sunt; deinde inferendæ virtutes. S. Isidorus l. 2. sent. c. 36.

Non potest mens regnum habere virtutum; nisi prius excusserit jugum vitiorum. S. Prosper. l. 3. c. 3. de virtutibus, & vitijs.

Ad nihilum valet operum bonorum novella plantatio, nisi malorum prius fiat eradicatio. Sim. Cass. l. 3. c. 3.

Nullus potest esse in vera vita spiritali; nisi prius moriatur peccato. S. Thom. Aqu. in ep. ad Gal. c. 1. Lect. 1.

## §. X.

*Virtus non amatur: sumus difficiles ad illam.*

## Ex Veteri, &amp; Novo.

*Plat lux.* Gen. 1. 3. Lux quidem, ut esset, divinum mandatum expectavit; tenebræ autem extiterunt sine mandato. S. Gregor. Nyss. l. hexam. Præmissis & tenebræ erant super faciem

*faciem abyssi.* S. Anafat. Sinaita l. 1. Anagog. contemplet. Scriptura tenebras ponit ante lucem. Quod præsignificaverunt illæ etiam duæ volucres, quæ emissæ sunt ex Arca Noë. Gen. 8. 7. 8. Unde licet videre; ibi quoque priores esse tenebras: prior enim corvus evolavit super aquas. Cum blanda voluptas homini res terrenas proponit, quæ meræ tenebræ sunt; & ratio cœlestia dicitur, quæ lux sunt; prius in illas abripimur, quàm in hæc feramur: non secus ac ante columbam corvus evolavit. Did. Niff. D. 3. Pasch. §. 3.

*Dedit viro suo.* Gen. 3. 6. Ut mulier alligeret virum ad peccatum; absque ullius mandato, ipsa, ut comedit, dedit viro suo: nam ad malum nos prout sponte nostrâ; ad salutem mandatò impelli opus habemus. Sylveira in Joan. 4.

*Abijcite deos alienos; surgite &c.* Gen. 35. 2. 3. Surgere jubet: quia somnolenti sumus ad ea, quæ animæ, & Dei, sunt: ut necesse sit, crebris vocibus nos excitare. Et ascendere jubemur: quia omnis pro Deo, & anima, susceptus labor videtur mons præcellus: aliter est in voluptatibus. Did. Niff. Pol. Cœl. p. 2. l. 9. c. 4.

*Tollite in aures aureas, de uxorum, filiorumq; & filiarum vestrarum, aures; & afferte ad me.* Ex. 32. 2. Si ab uxore, aut filia, monile auferas ad bonum aliquod; vix totâ die fletum, & turbationem domus, compescere poteris: nunc verò tam facile pretiosus spoliari permittunt ad idola. Oleaster. Imperat virtus; & dormimus: annuit vitium; & jam currimus. Utinam se sic sinneret homo à vitijis rogari, quemadmodum ad opera virtutum. Seneca l. 3. nat. quæst. c. 27. nihil difficile est naturæ, ubi in finem sui properat. Ad originem rerum parcè utitur viribus; dispensatque se incrementis fallentibus; subito ad ruinam totò impetu venit. Did. Niff. Polit. Cœl. p. 2. l. 2. c. 6.

*Repente ventus irruit à regione deserti.* Job. 1. 19. at Ezech. 37. 9. à quatuor ventis veni spiritus, & insuffla super interfectos istos, & reviviscant. Ad evertendam domum, ad inferendam necem, irruit ventus unus: ad conferendam verò vitam à quatuor ventis totidem fœderati venire debere. Idem f. 4. D. 5. Quadr. §. 4.

*Cum sancto, sanctus ejus, & cum viro innocente innocens eris, & cum electo electus eris; & cum perverso perverteris.* Pl. 17. 26. Sanitum ter nominat, sanctus, innocens, electus; & perversum semel tantum. Cur mali, & perversi, non ter, æquè ac sancti, meminit? Quia, ut quis evadat Sanctus, tribus, & pluribus, indiget Sanctis, qui illum ad probitatem pertrahant: ut verò quis malus evadat, unus, qui pervertat, plus satis est. Idem ibidem.

*Ambularimus vias difficiles.* Sap. 5. 7. *Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem.* Pl. 13. 3. Sed, ut ad cœlum tendant; quid requiritur? *Appropinquavit regnum cœlorum &c.* Matth. 3. 2. Novus di-

cendi modus! homo debet querere, & sese appropinquare ad regnum cœlorum; at è contra Joannes ait. Nisi cœlum se inclinet, & ad nos veniat; nunquam homo se movebit, ut illud conscendat. Sylveira in Joan. 4.

*Ecce ego lactabo eam, & ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor ejus.* Ol. 2. 14. alij legunt, *seducam* eam in solitudinem. Expende verbum *seduco*, & confidera; quòd etiam ad ea, quæ nobis maximè utilia sunt, oportet Deum nos seducere. Oleaster in Gen. 12.

*Abseondi talentum tuum in terra.* Matth. 25. 25. Compone hunc servum iniquum cum illo Luc. 16. 3. qui ait: *fodere non valeo*, hoc est, laborare. At iste, qui unum talentum acceperat, *abscondit in terram.* Hic ad malum strenuus, & impiger; alter ad bonum, & satisfaciendum Domino, piger. Sylveira hic in addit.

## §. XI.

## Varia de Virtute in genere.

*Vinum tuum missum est aqua.* If. 1. 22. id est, justitia tua missa est cum avaritia, & injustitia. Religiosus miscet vinum cum aqua, quando cum obedientia miscet propriam voluntatem, & judicium cum oratione curiosa; & secularia colloquia, cum cœlestibus cogitationibus consolationes viles. Cornelius hic.

Virtus spontanea quædam res est, & nullius subjecta dominio: quod autem quædam necessitate coactum est, virtus jam non esse potest. S. Gregor. Nyss.

Multò magis regnans virtus mavult adolescentiam, quàm senectutem; & tanquam intactam Virginem, & nihil probri passam adolescentiam, secum jungit necessitudine, ut cujus vitæ primitias ambiat. S. Chrysost. in Pl. 14.

## §. XII.

## Virtutes Theologicæ.

## Figure, Symbola.

## Abraham, Isaac, Jacob.

**D**Eus est *Deus Abraham*, conferendo Fidem: *Deus Isaac*, conferendo spem: *Deus Jacob* conferendo Charitatem. S. Bonaventura hic.

Per Abraham Fides, per Isaac spes, per Jacob Charitas, intelligitur. Hugo Card. in Matth. 1.

*Recumbent cum Abraham, & Isaac, & Jacob.* Matth. 8. 11. In Abraham Fides, in Isaac spes, in Jacob Charitas designatur. Sim. Cast. l. 5. c. 12. Hi tres Patres in medium adducuntur: nam in Abraham Fides, quæ placuit Deus; & reputatum est ei ad justitiam: in Isaac verò spes, quasi Sacramentum fidei; & gratiæ, generatur. Porro per Jacob Charitas designatur: quæ per varia certamina, donec Israel possit Deum deorum in Sion videre,